

**ACTA SANCTORUM JULII TOMUS
TERTIUS, DECIMA DIES.
DE S. CANUTO REGE ET MARTYRE
OTTONIÆ IN FIONIA DANIÆ.**

VITA ALIA Auctore Saxone Grammatico.

[S. Kanutus adhuc adolescens, piratas domat.] Kanutus Suenonis filius, propitiæ fortunæ beneficio, summis naturæ dotibus cumulatus, magno cum experimento ætatem animo præcucurrit. Quippe contracta juventute, myoparonum piratica monstra perdomuit, Sembicis atque Estonicis illustrem trophæis adolescentiam egit, novisque virium gradibus, paterni roboris fundamenta transcendit: quæ victoria futurum ejus dominium ominata est. Pro amplificanda tuendaque patria juges excubias gessit, rerumque, quarum ob infirmam ætatem vix spectator esse potuit, auctor haberi præsumpsit. Quin etiam juvenile corpus continuo usu ad bella impigre conficienda, armaque viriliter sustinenda firmabat, fama que ejus bellica vi in tatum claritatis excessit, ut redivivum magni Kanuti spiritum fortunamque simul cum nominis videretur communiione sortitus; adeo ut nullus eum paterni regni successione potiturum ambigeret. Neque enim virtute jam maturus, honori intempestivus videbatur. Sed nec liberalitatis species ejus adolescentiæ defuit: Cujus fratrem Haraldum natu majorem, obtusi admodum cordis, inter juventæ initia perpetuus inertiae sopor oppressum tenebat.

[2] [Haraldus Rex Daniæ creatur;] Suenone autem defuncto, regiæ successionis delectum anceps popularium sententia pertractabat. Major namque Danorum pars, memor quantis per Kanutum privatiæ adhuc fortunæ periculis objecta fuerit, graviora, si

regnum indueret, verita, maligna virtutis interpres, quod gloriae ejus accrescere debuerat, iniquissima meritorum aestimatione damnabat, elevatis virtutum praemiis, clarissima ejus opera repulsae turpitudine rependendo. Igitur ut hunc negotiorum metu perosa; ita Haraldum otii cupiditate complexa, audaciae hebetudinem praetulit, ignavumque sibi Regem maluit imperare, quam fortem. Quamobrem egregiae indolis claritate contempta, negatum virtuti culmen vitio tribuere non erubuit, repulsa fortitudine, inertiam honoribus insecuta. Verum hunc ingratae mentis habitum fucosa rationis specie colorabat; Haraldum perinde ac natu majorem, ipso naturae jure regno debitum certans. Genus affectionis inusitatum: hunc virtus invisum, illum vitium probabilem fecerat. Soli Scanienses, justa animi inclinatione provecti, Kanuti probitate culta, Haraldidi desidiam respuebant. Porro Haraldus plerosque fraternae partis fautores, legum emendatione, liberiorisque vitae jucunditate promissa, per subornatos in gratiam suam sollicitandos curavit. Ita a Kanuto vulgi animos partim spes, partim metus avertit. Ipse, deficientibus a se copiis, tribus dumtaxat rostratis navibus in angustissimas Scanici maris fauces elabatur, regno carere jussus, cujus ipse incolumitatem protexerat, terminos auxerat. Ubi fraterna legatione, regni communionem spondente, reverti monitus, spretis mandatorum blanditiis, Suediam fugibundus intravit, perquam stultum ratus, ejus se promissis in fracta fortuna credere, cujus eadem adhuc vigente minas acceperit.

[3] Mox perinde atque injuriarum oblitus, intactis patriae rebus, [cui mortuo succedit Kanutus] bellum adversum Orientales, vivente patre coeptum, enixe prosequitur. Interim Haraldus regnando biennium emensus, defungitur. Quo mortuo, Kanutus fraternis suffragiis in regni fastigium revocatus, Orientale bellum, quod in adolescentia orsus, in exilio auspiciatus fuerat, accepto solio, potius amplificandae religionis, quam explendae

cupiditatis gratia, totis viribus innovandum curabat, cum incrementis fortunæ etiam claritatis augmentum apprehendere cupiens. Nec ante manum ab incepto retraxit, quam Curorum, Sembonumque ac Estonum regna funditus delesset. Deinde, sublato hoste, nuptias circumspiciens, finitimaque conjugia obscura ac dignitate sua minora reputans, Præfecti Flandriæ Roberti filiam Ethlam in matrimonium advocavit, ex qua filius ei Carolus obvenit. Cumque Magnatum insolentia solutos hebetatosque prisci juris nervos adspiceret, omnibus ingenii modis ad reparandam patrii moris disciplinam connisus, probatoris justitiæ cultum severissimis edidit institutis, contusumque & labentem æquitatis tenorem in pristinum habitum revocavit. Non sanguini, non necessitudini, quo minus juste se gereret, indulgentiam habuit: nullius amicitiae aut familiaritati impunitatem injuriæ tribuit: sed omnia antiquæ consuetudinis momenta præcurrens, labefactatum juris vinculum tenacissimo nexu adstrinxit, ac paternæ severitatis vestigia sollicitus usurpavit, eoque studio gravissimas Majorum offensas contraxit.

[4] Sacris decus suam reddebat; sacerdotia gerentes gratiæ nutrimentis prosequatur; [Episcopis & toti Clero plurimum favens,] cumque ab inertis & rudi populo parum justam Pontificibus venerationem haberi conspiceret, ne tanti nominis potiores inter privatos relinqueret, decreti circumspicientis industria, Principum eis consortionem indulset, ipsisque primum inter Procures locum, perinde ac Ducibus, assignavit, auctoritatem honore concilians. Providit etiam, ne tanti officii pondus æquo minor veneratio caperet, inque summa religionis arce positi, infima cultus conditione vilescerent. Nec solum Pontificibus dignitatis incrementa donavit, sed etiam privatorum Clericorum ordinem benignissimis decretis adornare studebat. Nam quo cumulatiorem eis honorem redderet, litteratorum controversias, vulgaris fori

conditione exemptas, ad ejusdem professionis iudicium relegabat. Iisdem religionis reos, objecta repellere nequeunt, pecuniaria mulcta puniendos permisit. Quibus etiam in omnia, quæ adversum divina committerentur, animadversionis arbitrium tradidit, cunctasque hujusce generis actiones, Sacerdotali iudicio destinatas, a publico foro secrevit, ne honore impares conditio æquaret. Quamobrem dignitati pondus adjecit, decusque privato fastigio excelsius eorum respectui inesse voluit. Quo effectum est, ut Danorum nemini, nisi Regi aut Pontificibus, eique, qui potissimus regni successor advertitur, domesticis quemquam liceat actionibus postulare. Idem populares, adhuc sacrorum rudes, decimarum religioni assuefacere conabatur. Sed propositi irrita suasio fuit: quippe maturitatem rerum capere novelli cultus rudimenta nequibant.

[5] [atque in ecclesias egregie liberalis.] Ne autem Sueno Episcopus promissam templi refectionem negligentius exequi videretur, cœptam Roschildensis sacrarii fabricam ad finem usque perduxit. Cujus excolendi gratia coronam, arte impensa que operosissime elaboratam, in ejus ornamentum appendit, existimans, regias opes potius sacrorum splendori, quam humanæ avaritiæ servire oportere. Egynus quoque iisdem ferme temporibus, opitulante Rege, Laurentianæ ædis inchoatum a se opus explicuit. Quibus Rex dedicari jussis, mirificam dotis nomine munificentiam erogavit. Nam in æde Laurentiana annua cantorum stipendia, Pontificis subsidio fultus, instituit. Ipse enim partim ex fisco suo Regisque latifundiis, partim Antistes ex ante collatis templo beneficiis quotidianos eorum sumptus exhibuit: tantaque inter ipsos religiosi certaminis alacritas fuit, ut uter in Deum venerabilior fuerit, incertum extiterit. Prima itaque dedicationis die Rex solenniter altaria veneratus, quartam regii numismatis, quartam suæ in cives exactionis, quartam æstivi census portionem ei, qui pro

tempore loci Antistes extiterit, muneris loco perpetuo jure possidendam concessit. Nec parcius privata Clericorum jura tutanus, ab eis, qui sacrarii rus excolunt, universum paene regiæ pensionis jus adscriptis chori ministris deferendum curavit. Ceterum detractæ expeditionis pœnas, ac violatæ pacis vindictam, eorumque, qui propinquis vacui decessissent, hereditates regii dumtaxat juris esse voluit. Itaque non minorem in edendis templorum privilegiis, quam præstandis beneficiis, auctorem egit. Et, ut legibus suis æternitatem conciliaret, eas convellere conaturos Antistitum execrationi subjecit. Cujus edicti, postmodum a multis temere pertentati, vetus adhuc ratio perseverat.

[6] Rex vero cum in omnibus sancte se industrieque gessisset, [Vult Angliam armis repetere,] præcipue religionis caritate conspicuum præbuit, nec umquam remotos ab exactissimo ejus cultu oculos habuit. Qui cum fratrum suorum turbam juveniliter intemperantem patriæ admodum onustam videret, largis uberibusque stipendiis alitam, uno dumtaxat Olavo, Slesvici partibus præside, in clientelam assumpsit, ac publicum pondus privato levavit impendio. Tandem Danorum nomen, armis in desidiam cadentibus, a paterni avunculi temporibus obrutum animadvertenti, novandarum rerum cupido subrepsit. Ut ergo negotiorum conformitate, Majorum fortitudini responderet, operamque eorum studiis consentaneam ederet, atque aviti nominis gloriam æquaret, omnium, quæ paterna corrupisset inertia, refectionem suæ commendabat industriæ, avum æmulatus est.

[7] Primum igitur occultum Olavo consilium prodit, [sed fratris Olavi perfidia turbatur expeditio.] eoque id ipsum hortante, rem deinde popularibus aperit. Alacris omnium assensio fuit. Sed quem Rex sibi fraterna caritatis vicissitudine respondere crediderat, latenter æmulum

habebat, insidiosæque ejus adumbrationis ignarus, affectum referri sibi, quem ipse impenderet, æstimabat. Quem etsi prudentia secus monuit, sanctitas tamen malignam de fratre suspicionem referre prohibuit: ne consanguineam fidem temere damnare, inque fraudis metu hostes ac necessarios juxta ponere videretur. Verum Olavus affectatione regni, pietatis erga germanum oblitus, perfidissimi pectoris habitum summa fidei simulatione tegebat, vulgatumque Regis propositum non solum adulationibus fovit, sed etiam hortamentis instruxit: non quod potentissimum regnum ab eo recuperari posse speraret, sed ut imperatæ rei difficultatem in odium imperantis converteret. Enimvero fratris animum fastidiose æstimans, piissimum ejus amorem parricidali fraude pensabat. Nam cum eum, quod neglectam ante severitatem novis legibus restitisset, civibus invisum animadverteret, quo odium ejus cumulatus redderet, quod publice displiceret, privatim exequi stimulabat. Et ne solus insidias volveret, lecta societate clandestinæ conjurationis cœtum instruxit, nec frustra ingenium fuit. Quippe primores, quorum violentia regiis sanctionibus retusa fuerat, parricidali cum Olavo propositi consortium habuerunt. Kanutus vero omnium animos gloriæ magis, quam sceleri intentos existimans, imperata classe, Lymici maris oris advehitur, a quo brevissimus in oceanum transitus patet, quondam navigiis pervius, nunc vero interjecta arenarum mole perclusus. Hic Rex fratrum diu præstolatus adventum, navigandi cunctatione exercitus alacritate est excussus. Nam Olavus, reddita tarditatis ratione, veniendi moram in dies extraxit, commentumque cassandæ expeditionis exagitans, alimenta perfidiæ mendaci impedimentorum simulatione quærebat, eo moram trahere cupiens, donec aut Regem sine eo proficiscentem, interim ipse regno privaret, vel tarditate suspensum, exercitu destitueret; Rexque vel desertorum impunitate despicibilis, vel pœna cunctis invisus evaderet. Ita & fratrem & dominum adventus sui

cunctatione ludificans, tam vafræ, tamque insidiosæ rationis commento, generosi ac fortis propositi molitionem subruere conabatur.

[8] Nec eum callida consilii ratio fefellit. Nam tota a Rege classis, [Mittitur captivus in Flandriam Olavus, diffluitque exercitus.] fastidita ejus expectatione, defecit. Rerum enim, quæ a fratre gerebantur, ignarus, morantis adventum sæpenumero mandatis exegerat: cum tandem de ejus perfidia certior factus, classe præstolari jussa, Slesvicum lectissima manu festinato contendit: ibique fratrem inopinatum & attonitum interceptit. Deinde productum accusatumque, nec objecta valide propulsantem, perinde ac convictum, impotentemque defensionis, compediri a militibus jubet. Qui indebitam regio sanguini contumeliam suis manibus administrandam negabant: cujus tanta apud ipsos veneratio fuit, ut ex eo ortos, morte quam vinculis mulctare mallent, tolerabilius rati, quod communis conditio admittit, quam quod servile supplicium exigit. Sed & gentis nostræ verecundia summam in vinculorum pœna turpitudinem reponere consuevit, hisque affici omni fato tristius ducit; ingenuas mentes probroso, quam cruento supplicio punitiores existimans, tantoque alterum altero speciosius censens, quantum naturæ habitus a fortunæ vitio distare creditur. Mandatam militibus operam communis frater Ericus exequitur, plus justi imperii, quam iniqui germani respectui tribuendum, nec sanguini parcendum, dum vitia puniuntur, existimans: quippe quem virtus defecerit, nullam stirpis reverentiam obtinere, animique labe foedum, omnem generis infuscasse splendorem. Igitur non tam fratris nomen, quam parricidæ propositum intuebatur. Adeo sanguinis pretium vilescit, cum se moribus ignobilem fecerit. Post hæc rex Olavum catenis coërcitum, navigioque in Flandriam relegatum, carcerali custodia mandandum curavit. Cujus captionem conjurati parum fama aut nuntio experti, quo callidius exercitum

solverent, inertem regis moram absentiamque causati, classem clandestino monitu circumventam, domos abire jusserunt. Quam rem si quis palam exhortatus fuisset, publicatis bonis, aut in exilium agi, aut capitali supplicio affici lege merebatur. Quam ob rem defectionis incentoribus tutissimum visum, ut sine ullo auctore ipse sibi populus desertionis licentiam vindicaret, ne tam privatum discessionis crimen, quam publicum haberetur. Tantum autem apud improvidam multitudinis temeritatem insidiosa Magnatum ratio valuit, quod plebs non minus eorum auctoritate, quam moræ tædio adducta, fidentissimam revertendi libertatem acciperet.

[9] [Rex pecuniaria exactione desertores multat: quam in decimarum solutionem mutare studet:] Cujus facti Rex cognitione suscepta, dolorem prius, deinde lætitiā egit. Siquidem injuriam in religionis habitum formavit, mulctæque nomine primam exigendarum decimarum occasionem corripuit, lætatus quod ei utilissimam propositi rationem opportunitas conciliasset, suoque dedecore sacrorum decus instruere liceret. Cumque Magnates Olavum, quem sibi factionis ducem futurum speraverant, a fratre interceptum audissent, proposita fraude defecti, summam ejus dissimulationem egerunt. Itaque Rex, accersita postmodum concione, docet quantum Danicis armis militaris semper disciplina profuerit: Majorum imperiis a minoribus semper obtemperatum fuisse, Regum auctoritatem popularibus inniti suffragiis: Principum famam nullo magis, quam militum fide crevisse: eorumque nullius momenti imperium esse, si non plebeiis subsistat auxiliis. Sibi vero nuper ignotam Regibus contumeliam obvenisse, inusitatae defectionis auctores hebetudinem audaciæ prætulisse, aviditate otii speciosissimæ rei negotium subruisse. Adjecit quoque, quanta pecuniæ summa ob impium desertionis crimen damnari meruerint, gubernatorum singulis quadragena nummum talenta, terna remigum

unicuique mulctæ loco numeranda proponens. Nemine collationem abnuente, promissa æris solutio est. Quo cognito, remittere se Kanutus illam exactionem, si Sacerdotibus decimas erogare voluissent, edixit. Tunc concio, petita consulendi licentia, paulisper a Rege deliberatura secedit, an propositis satisfieri conditionibus oporteret. Utraque exhibitu difficilis æstimata. In solvendo namque ære, complures inopia afficiendos credebant. Decimarum vero pensionem omni ævo celebrandam, æternam debitoribus infligere servitutum. Igitur quasi in tristium rerum contextu minus aspere delectum facturis, acerbior visa, cui comes diuturnitas affuisset. Nam cum altera se tantum, altera posteros quoque puniendos adverterent, præsentem inopiam perpetuo muneri prætulerunt. Itaque temporum æstimatione facta, quo sibi tantum, quam quo posteris pœnam crearent, culpam redimere præoptantes, semel ære, quam semper libertate, defici maluerunt, jure elicited, dedecore vacuum: persuasione extortum, probro obnoxium rati. Quin etiam annuam alienis frugem dependere, ignominia, non religioni, attinere censebant. A quibus cum Rex deteriorem conditionis partem approbari videret, simulata pecunia exactione, Septemtrionales Jutia partes ingressus, Tostonem, cognomine Peculatore, ejusque collegam Hortam, colligendæ pensionis quæstores instituit, mulctæ metu decimarum religionem disserere cupiens. Iisdem defectorum res, æstimatis possessionum pretiis, intactas dimittere jussum. Qui mandatum immitius, ac jussi fuerant, executi, iniqua plebem exactione pulsabant. Quam rem æmuli Regis in popularium concilio deplorantes, calumniam mendaciis exaggerabant. Veris quoque majora fingentes, invisos cunctis reddidere quæstores. Quippe militum opus, non Regis imperium, judicabant: nec jubentis, sed jussi studium intuebantur.

[10] Quorum instinctu multitudo Quæstore adorta, [hinc turbæ in exactores & in Regem, qui in Fioniam fugit, ubi a Blaccone proditur.] communem injuriam publica consternatione cohibuit, magis, quid fieret, quam quid fieri jussum esset, inspiciens. Nec eorum cædibus satiata, in Regem quoque vesana prorupit. Qui impetum ejus opportune sua ratus absentia declinandum, Slesvicum concessit: ibique conjugem cum filio constitutam, si res sinistre cessissent, perfugere in patriam jussit, nullum inter perfidos præsidium habituram. Siquidem intempestivum regno heredem domesticorum arbitrio relinquere verebatur. Igitur Vuandali, solam sibi in armis libertatem restare credentes, fugæ ejus, perinde ac victores, insultare cæperunt. Qui cum imminentibus Jutis, & vetera auxilia deficere cerneret, nec nova temporis angustiae contrahi sinerent, quo tutior secessu foret, Fioniam petit, salutem insulæ præsidio quæsiturus: ubi nihilominus indignam religiosissimo spiritu suo violentiam expertus est. Hinc enim Jutis aucta sæviendi fiducia, concitatam multitudinis temeritatem exacuit: hinc grassandi præsumpta libertas, tristem Regi procellam inflixit. Sane populares, pænæ metu cœptum omittere veriti, perseverantiam sceleri exhibendam duxerunt. Neque enim bis læsum pœnam noxiis remissurum credebant. Ideoque ejus exitium sitientes, ardentissimo odio sanctissimi viri necem petebant: ac veluti veniæ desperatione compulsi, hostem tollere, quam ultorem experiri maluerunt. Nec suis eum finibus exegisse contenti, Fionia quoque propellendum decernunt. Jamque Rex accepto trajectionis nuntio, Sialandiam emigrare statuerat, cum Blacco quidam, primam ipsius familiaritatem adeptus, sed nihilo minus eum occulte perosus, simulatæ fidei consilio hortatur, fugæ parcat, Othoniensis pagi præsidia expetat, nec femineo more latebram circumspiciat: se interim plebis acta speculaturum, blanditiasque iræ ejus oppositum promittit. Quod si plebis animum mitigare nequisset,

tanto ante id Regi pronuntiaturum, quantum fugæ occupandæ sat esset. Consilio obtemperatum est. Tunc Blacco, ommissa legatione, sinistris plebem monitis palpitans, conciliandæ gratiæ loco, odium Regi impensius struit. Hortatur, quam celerrime calumniæ auctorem occupent, nec fugacem elabi permittant: oppressionum vindices tyrannum, non Regem, fastidire commemorat: carere culpa, quod honestatis æmulatione committitur: patriæ tutores, perinde ac pietatis ministros, parricidio exui: privatum abesse crimen, ubi publicæ libertatis vindicta peragitur. Præterea miserrimos, cœpti irritos; compotes, felicissimos fore. His atque consentaneis modis sollicitato in Regis necem populo, adversum immerentis caput funestos omnium conatus erexit, eaque actione consternatam amentia plebem, veluti furiali quadam face succendit. Statimque impetus crevit, ubi hortatorem habere cœpit. Neque enim temeritati ejus constantiam suam objecit, sed publicæ sese dementiae auctorem adscripsit. Igitur incitator seditiois procella, pestifera ejus concione deferbuit, graviorque tempestatis incentorem nactis tumultus erupit. Inde reversus, pacatiorem populi animum nuntiat: facile consternationis procellam acquiescere, si Rex iram mutuo deponere, reisque pœnam remittere voluisset. Quem Rex fidum legationis ministrum ratus, regalis magnificentiæ convivio excipit, malignumque suæ pietatis interpretem donis prosequitur. Utrobique gratia perfidiæ habita est. Nam Blacco alterna partes vice subiens, corrupto legationis officio, pro mediatore proditorem agere cœpit, atque ex speculatore sceleris hortator evasit, sinistre Regis, falso plebis animum interpretatus. Ita pellacis viri mendacium, legationis titulo involutum, Regem pariter ac populum fefellit: hunc, ne imminentem vitaret; illum, ne parceret expectanti.

[11] [Concitus populus Sanctum in templo aggredi aude] Eundem die postera Rex prioribus paria

pollicentem, ad speculanda seditionis acta dimittit, communemque hostem, inter se & vulgum creandæ pacis auctorem assumpsit: Nec solita legato perfidia defuit: cujus pestiferis monitis instincta plebs, vehementius adversum Regis caput consternationem destrinxit. Kanutus interim quotidianis sacrorum solennibus assuetus, ne quid religioni præponeret, Albani ædem sacram, pro se deprecaturus, accedit. Quippe precibus Deum, quam hostem armis, ne quid charitati detraheret, aggredi præoptavit: ubi dum religioni vacando officia sanctitatis exsequitur, consternatæ multitudinis corona armis sacrarium clausit. Quotquot ergo ex militibus hostem præcurrere poterant, periculi consortium affectantes, Regem petebant, ejus in seipsos discrimen transfundere cupientes: cumque salutem secessu consequi possent, periculum præsentia quæsierunt, morteque clari, quam fuga tuti fieri maluerunt. Quanta porro humanitate clientelam hanc abundasse credemus, quæ, ne infelicem domini fortunam desereret, periculo sese, quod vitare licebat, opposuit, inque magna fugiendi copia salutem Regis, quam suam, tueri satius duxit? Benedictus quoque fraternitatis nexum fide imitatus, in templo cum fratre commori destinaverat. Ericus vero seorsum ab hoste conclusus, cum solus multitudinem sustinere nequiret, per medios hostium globos, ferro secessum molitus, erupit. Tunc nemine religiosæ pacis domicilium violenter irrumpere præsumente, primus Blacco, cunctantibus ceteris, ferro valvas petivit, ductuque suo eamdem cunctis licentiam tribuit. Ita se non sacrilegii modo, sed etiam publici parricidii ducem auctoremque exhibuit. Quod videns plebs, concitato seditionis motu, templum aggreditur, eoque irruptione facta, divinos lares ac sanctissima penetralia sacrilega tempestate fœdavit. Verum Blacco in ipso, quem irruerat, aditu trucidatus, datis parricidii piaculis, violati sacrarii pœnas pependit: mors ejus, interfectoris exitu vindicata est. Itaque alterius fato scelus, alterius pietas

causam præbuit. Crediderim tunc pium cruorem parricidali permixtum, separatis fluxisse meatibus, atque sine ulla rivulorum communione hinc sacrum, inde scelestum sanguinem, dividuis alveis incessisse. Benedictus liminibus irruptorem excipiens, dum foribus acrius propugnat, occiditur.

[12] Rex ipse inter cruentos imminentis violentiæ strepitus, [& primo fratrem deinde ipsum, peccata confessum interimit.] fiducia conscientia, eundem mentis habitum tenuit, neque religioni parcius, quam si periculum abesset, vacavit, ne plus ab eo timoris quam constantiæ viribus indulgeretur. Sed ne extrema quidem ejus hora sanctitatis studio vacua fuit. Nam cum parietem undique a popularibus perfringi, (quippe ligneus erat) ideoque propinquam sibi necem instare animadverteret, accersito Sacerdoti factorum arcana confessus, per summam mœroris acerbitem præteritæ vitæ culpas absolvit, præmiumque sibi pœnitentiæ salubritate concivit. Tantum enim in innocentia sua fiducia reposuerat, ut mortem non periculo oppressus refugere, sed metu vacuus appetere videretur. Quin etiam propassis utrimque brachiis ante aram, fati securus occubuit. Ubi dum victimæ more prostratus percussorem expectat, immissæ per fenestram lanceæ mortifico jactu confossus, pium mortis sacrificium edidit, profusoque militum sanguine, suum ad ultimum erogavit. Enimvero crebris undique telis petitus, corpus immobile tenuit, nec ante loco, quo cubabat, excessit, quam feretro mandaretur exstinctus. Ex cujus sanctissimis vulneribus plus gloriæ, quam cruoris effluxit: quippe præsentis vitæ exitu initium melioris accepit, hostili judicio punitus, divino servatus. Felix eorum parricidium, qui quem terrestrium virtutum orbe exemerant, cælestium usibus applicabant, caducaque & fragili potentia spoliatum, solidæ atque æternæ felicitatis compotem statuerunt. Sed & clandestina ejus virtus perlucidis postmodum

experimentis enituit. Hæc audiens Regina, patriam cum filio impubere repetit, geminis post se relictis filiabus: ex quibus Ingertha Folconi Suedicæ gentis nobilissimo nupta, Benedictum, Kanutumque filios habuit: iisdemque mediantibus, Birgerum, qui & nunc extat, Suediæ Ducem cum fratribus suis nepotem accepit. Verum ex Cæcilie matrimonio Ericus Gotthorum Præfectus, Kanutum cum Carolo procreavit. Ex quibus generosissimarum imaginum numerosa posteritas, clara propinquitatis serie cohærens emersit.

[13] [Miracula S. Kanuti impii obscurare conantur.] At populus, perempto Rege exultans, quod scelus deflere debuerat, insulatione prosequi voluptatis loco reputabat. Qui cum parricidio pietatis causam prætexeret, idque tyrannicidii nomine coloraret, militem suum Deus mercede fraudari non passus, arcanam sanctissimi viri innocentiam manifestis publicavit indiciis, eximioque vitæ ejus splendori etiam clara mortis ornamenta concessit. Sane ad coarguendam parricidarum malitiam, puniti merita miraculosis prodidit argumentis, ignotamque vulgo virtutem mirifico rerum fulgore detexit. Quorum plebs admiratione percussa, virtutis invidiam egit, conspicuamque signorum experientiam diu nequidquam infuscare tentavit. Veteris namque invidiæ fremitu, ac pristinis odii viribus pertinacius excandescens, adduci non poterat, ut divinis honoribus coleret, quem ob scelus a se interfectum putaret; rem cælitus declaratam, humanis argumentis abnegare conando. Quamquam enim damnatos a se mores, cælesti judicio comprobatos videret, ad dissimulandam tamen occultandamquo miraculorum fidem, justam cædis causam fingebat, firmamque facti tuitionem retinens, sententiæ suæ perseverantissima propugnatrix existere non erubuit. Nec vita Regem spoliasset contenta, etiam fati laudibus exuere conabatur; cujus lucem extinxerat, famam quoque sepelire connisa. Sed humanis tenebris divinus splendor

involvi non poterat: quippe miraculorum nitor, dubietatis caliginem clara rerum luce pellebat. Nam sanctitatis ejus medela, varias imbecillitatum affectiones, remediorum salubritate prosecuta est. Cumque obtrectantium livor crebrescentibus signis virtuti cedere cogeretur, nec fidem ulterius frustrari quivisset, in facti tamen defensione persistens, sanctitati quidem assensit, sed eam non tam ex præteritæ vitæ meritis, quam ultimi temporis pœnitentia profectam adstruxit. Ita & justam facto causam prætexuit, & vita cassum honore donavit. Siquidem digne Regem perisse, sed pium lacrymis evasisse dicebat, intentionem ejus avaritiæ, quam religioni, propiorem existimans. Cujus erroris non parvas postmodum pœnas pependit. Sed & posteri, paternam redolentes invidiam, sanctitatis ejus famam non moribus, sed lachrymis imputant, præsentique incredulitate præterito se errori implicant, neque adduci possunt, ut ipsius beatitudinem, deposito odio, sincere æstiment. Verum sacra ejus oppidulo orta, toto pæne terrarum orbe fulserunt, cultusque ipsius primum a civibus exceptus, paulatim in commune prorepsit. Cujus tam vitæ, quam miraculorum virtutem privatim Othoniensibus venerandam, publica etiam religio consecravit. Sed & cælestem ejus spiritum ad hoc usque tempus felix signorum fortuna prosequitur. Hinc est, quod Kanutus divini jam animi immortalitate potitus, ut terrestribus patriam patrociniis attollere studuit, ita cælestibus protegere non desistit. Ideoque sanctitas ejus, gloriæ & celebritatis fructu opulentissima, splendidum in Fastis locum obtinet. Quin etiam salutares effectus suos quotidianis administrat indiciis, malitiamque patriæ beneficiis pensat. Nam virtutum ejus insignibus omnis ætas Danica gloriabitur. Talibus illustrationis radiis Sanctorum fati claritas erogatur, cum cælesti beneficio mortalis livor opponitur.

[14] Interfecto Kanuto, Juti iniquæ societatis pertinacia singularem Olavi gratiam amplectentes, [Nicolaus pro Olavo fratre catenas induit, ut hic Kanuto succedat.] creari eum Regem alacerrimis petivere suffragiis: hunc sibi plurimum gratiæ relaturum sperantes, cui tanto regnum discrimine quæsiuissent. Neque ejus fratribus hunc honorem eximio Kanuti amore suspectis erogandum duxerunt. Igitur pecunia pacta, Nicolaum communem tam præteriti quam futuri Regis germanum, vadem pro ejus redemptione dederunt, receptoque regnum imponunt. Nec parvum Nicolaus fraternæ charitatis specimen edidit: siquidem fraternas induere catenas, suisque vinculis germano regnum emere non dubitavit. Quod audiens Ericus, contumeliæ memor, quam ei communis fratris jussu inflixerat, ultionis metu cum conjuge Botilda, quæ Ulvoni Gallitiano ex filio Trugoto neptis obvenerat, Suediam petivit. Dani vero, collato certatim ære pro sponsoris reditu, pactam creditori pecuniam numerarunt. Quem Flandrensi custodia liberatum, infesta parricidis fortuna veluti cladem aliquam nostrorum abundantia ac fertilitati injecit. Nam cum Dani novi Regis initiis applaudentes, pristinae ruinæ procacius insultarent, criminosis semper infensa divinitas, ne diu scelus impunitate floreret, petulantiam penuria rependere voluit, communique inopia, publici parricidii victa exegit piacula. Ut enim non in singulos modo, sed universos animadverteret, summa aëris intemperantia annorum, quibus Kanutus regnum gesserat, numerum adæquavit, cælestique robore humana vi majorem edidit ultionem. Quippe verni æstivique temporis fervore satum omne coaruit: autumnale vero adeo pluvium fuit, ut si quid locorum humiditate palustrive madore alitum succrevisset, perseveranti imbrium inundatione decideret, quamquam contrarium cæli habitum humanæ commoditatis ratio flagitasset. Igitur opportuno solstitium humore caruit, eumdemque sine modo profusum, sicum amans Sextilis excepit. Tunc plane camporum facies

cælestibus imbris inundata, late patentis stagni speciem præbere conspecta est; ita quod æstas ægre genuit, autumnus oppressit: tantaque temporum intemperies exstitit, ut nec imber æstum leniret, nec æstus imbris illuviem temperaret. Quin etiam agrestes, aquis campos tegentibus, supernantia spicarum capita demetentes, naviculis excipiebant, ac deinde putres aristarum reliquias fornacibus igni percalefactis exsiccandas mandabant: sicque eas molæ subjicientes, quia panem præstare non poterant, in usum pultis vertebant. Quamobrem tanta ciborum penuria incessit, ut maxima populi pars, alimentorum inops, inedia consumeretur.

[15] [summa aëris intemperies, & fames in Dania pluribus annis.] Ea res locupletes inopia, pauperes morte mulctavit: majoresque ære, minores spiritu spoliavit. Nam divitum populus, non suppetentibus alimentis, auro argentoque salutarem comparavit impensam: pauperum vero gregem, tam census quam dapis inopem, horrida passim fames absumpsit. Rex ipse ad ultimam tabem adactus, plurima fruge latifundia permutabat, agrisque venire jussis, alimenta possessionum pretiis comparabat. Nobilibus in eumdem usum ingenuitatis insignia erogare, rubori non fuit. Enimvero abunde seges finitimis erat, ut privata gentis, non publica terrarum ultio videretur. Quæ tam dira clades convictum populi animum, sanctitatem, quam antea detrectaverat, fateri coëgit, deque celsitudinis ejus contemptoribus veneratores effecit. Sane tam evidens pœna, aliis fruge abundantibus, Danis privatim ingruens, & parricidarum noxam, & perempti innocentiam liquido argumentata est. Hanc pestem Sueno Pontifex, cujus summa apud Danos auctoritas erat, populo parricidii pœnitere præmonito, incessuram prædixit. Quippe in plebem pius, in Deum venerabilis habebatur, religionemque attentiore cura, conciones præstantiore facundia celebrabat: ita favore omnium occupato, arcem

in nostros auctoritatis atque eloquentiæ fastigium possidebat. Subjectorum mores non solum dictis, sed etiam serenissimis operum informabat exemplis: nec voce, quam mente, concinnior fuit. Idem perfecta Trinitatis æde, in exædificando ejus ambitu Kanutum religiosi operis socium habuit. Nec minorem in exstruendis Mariæ sacrariis operam gessit. Quippe unum in urbe, alterum Ryngstiadis enixe molitus, tertium Michaëli Slagosiæ condidit: adeo se sanctorum penetralium singulari cultu flagrare monstravit. Nec domestica sanctitate contentus, augmentum ejus foris petere, arrepto peregrinandi labore, constituit. Cumque Hierosolymam proficiscens, Byzantium pervenisset, contracta varii generis ornamenta, cum sacrorum cinerum reliquiis in necessarios usus domestici templi remittenda curavit. Sed cujus Græcia pietatem vidit, mortem Rhodos aspexit. Iisdem fere temporibus, absumpto Richaldo, Ascerus, morum generisque splendore eximius, Lundensi potitur sacerdotio. Olavus cum bis paene lustrum regnando condidisset, inter continuas rei familiaris angustias, nihil regali magnificentia dignum exequi poterat.

[16] Sed & finitimi, facto paupertatis ejus contemptu, [Olavi pœnitentia & obitus.] famelicum ferro incessere ruboris loco duxerunt, rati inedia armis obrui non oportere, neque divinitus afflictum, humanitus premi, aut cælestium vindictam mortalium viribus exaggerari; cui enim invidiosum existeret regnum, contemptissima tot annis inopia profligatum! Cum Rex divinum Natalem celebrans, pane in domo non suppetente, jejunos circumquaque penates aspiceret, erubescenda mensarum inopia magnopere confusus, obducto manibus capite, suffusoque lacrymis vultu, per summam animi ægritudinem temporis difficultatem gemitu prosecutus est. Sane tantulam dapem tot convivis apponi deflevit, contemptissimam famem honoratissimæ lucis ignominiam

judicans. Qui mihi alienam specie, suam re vera deplorassee videtur inopiam. Deinde supplicatione habita, superna contuitus, auctorem omnium Deum, ut siquid iræ adversus populum concepisset, suo, non ejus periculo satiaret, oravit, infelicissimum patriæ statum, difficillimum temporis habitum æstimans. Quippe tam inops epularum convivium, quo famem instruere potius, quam pellere videretur, principum oculis subjicere erubescibat. Nec difficiles numinis aures habuit; siquidem celerem fati viam obtinuit, sibique mortem, salutem patriæ, (siqua modo parricidis virtus inest) pia prece conscivit, ingenuosque vivendi pudore, maximæ cladis pœnam avertit. Itaque memoriæ ejus speciosius deposita vita, quam gesta adscribi potest, qui fatum patriæ finiendi spiritus causam habuit. Porro quantum caritatis erga suos cordi insitum haberet, aperuit, cum & eorum mala proprio capite luere vellet, & commune periculum ad se solum redundare deposceret. Nempe quia suam pro civium salute devovit, pii animi titulo fraudandus non est. Fortuna siquidem famem cum auctore suo pari funere extulit, inediaque satietate mutavit.